

habet: *Non enim doctas fabulas secuti, notam fecimus vobis Domini nostri Iesu Christi virtutem et praesentiam; sed speculatores facti illius magnitudinis.* S. autem Petrus fuit unus eorum, qui Iesu Christi transfigurationi interfuerant. Tandem auctor eiusdem epistolae, cap. 1, v. 1, appellat ad primam suam epistolam, quam ad eosdem dederat, hisce verbis: *Hanc ecce vobis, carissimi, secundum scribo epistolam, in quibus vestram excito in commonitione sinceram fidem.* Utraque igitur a s. Petro scripta fuit, et utraque habet divinam et canonicam auctoritatem.

SOLVUNTUR ARGUMENTA CONTRARIA

10. ARGUM. I. Epistola secunda, quae Petro tribuitur, dictione et stylo multum differt a prima eiusdem epistola, ob quam causam, teste s. Hieronymo (1), Petro abiudicata fuit; ergo secunda illa epistola non est a s. Petro scripta. R. Tanta non est styli differentia, alium ut auctorem poscat: uti fatentur ipsi Centuriatores. Dein non est mirandum, pro rerum diversitate styli variari, aut pro diversa aetate aliud eidem auctori scribendi genus esse. S. Petrus autem secundam suam epistolam paulo ante mortem senio gravis scripsit. Certe diversitas styli eiusdem epistolae s. Hieronymum olim non movit, ut s. Petro hanc epistolam abiudicaret, sed potius ut putaret, s. Petrum alio in hac, quam in prima sua epi-

(1) Vide tom. 4 Operum s. Hieronymi I. de viris illustribus, vel de scriptoribus ecclesiasticis ad De. trum, praetorio praefectum in Simone (Petro), ubi ait: *Scriptis duas epistolas, quae catholicae nominantur; quarum secunda a plerisque eius esse negatur propter styli cum priore dissonantiam.*

stola interprete fuisse usum, qui proin alia phrasi et stylo sensa s. Petri conscripserit (2), quam interpretes primae epistolae. Primae enim epistolae interpretes fuisse videtur Silvanus seu Silas (3), vel Marcus; secundae autem Glaucias; hunc enim s. Petri interpretem fuisse docet Clemens Alexandr. (4). Denique s. Hieronymus loco in obiectione citato disertis verbis enuntiat: *Scriptis (Petrus) duas epistolas, quae catholice nominantur.* Et in epistola cui ad Paulinum ait: *Iacobus, Petrus, Ioannes, Iudas, septem epistolas ediderunt, nempe Iacobus unam, Petrus duas, Ioannes tres, Iudas unam.* Ergo omnibus consideratis non est dubitandum, quin s. Hieronymus etiam secundam Petri epistolam ut authenticam admiserit.

11. ARGUM. II. Multae ecclesiae epistolam II. Petri non receperunt; quod utique, si eius auctorem Petrum nossent, minime fecissent; ergo haec epistola non est s. Petri. Ita obiicit Grotius (5) cum aliis. R. Esto, quod ante concilium Laodicenum, in quo primum catalogus divinarum scripturarum auctoritate publica constitutus fuit, non omnes omnino ecclesiae hanc epistolam s. Petri receperint, quia apud eas, num revera Petri esset, certo non constiterat: tamen etiam ante concilium Laodicenum saeculo IV, sub Damaso papa celebratum a multis ecclesiis tum in oriente, tum in occidente, uti canonicam fuisse receptam, constat ex testimoniis antiquiorum patrum, s. Clementis pa-

(2) Vide Cornelium a Lap. praefat. in secundam Petri epistolam.

(3) Vide 1 Petr. c. 5, v. 12 et 13.

(4) L. 7 Strom. sub finem.

(5) Initio Anotat. in secundam epistolam Petri.

paë (1), s. Irenaei (2), Origenis (3), s. Iustini M. (4), etc., qui omnes ante saeculum IV floruerunt, et secundam epistolam Petri vel citant tanquam scripturam divinam, vel ad eam alludunt (5). Horum vero auctoritatem per se quidem gravissimam, cum deinde omnes ecclesiae secutae fuerint, non video sane, cur Grotius cum aliis adversariis sequi non debeat.

SCHOLION. Porro, quae ex Origene, Eusebio et Didymo contra canonicam auctoritatem epistolae secundae Petri obiiciuntur, solide soluta in cl. Hermanno Goldhagen (6), studiosus lector inveniet.

Sed INSTAT Grotius loc. cit. ac ait: scriptor epistolae, quae dicitur secunda Petri, eam scripsit post exitum Hierosolymae; ergo huius epistolae auctor non potest esse s. Petrus; cum iste iam Nerone imperante (adeoque diu ante excidium Hierosolymae per Titum) supplicio crucis fuerit extinctus. Cons. patet. Ant. vero a Grotio sic probatur. *Nemo enim christianus, inquit, ultimum mundi diem venturum credidit, nisi postquam evenisset everasio iudaici status. Post eam vero brevi admodum futuram mundi ruinam multorum animo observabatur. Hic vero scriptor (epistolae secundae, quae Petri dicitur) christianos vult (cap. 3) patientes adhuc esse in illius diei expectatione, si forte sperato tardius adveniat; ergo idem scriptor huius secundae epistolae eam scripsit post excidium Hierosolymae, dum iudaei erant in expectatione ultimae mundi diei, post*

(1) In sua 1 epistola ad Corinthios, n. 41.

(2) L. 5 contra Haeres. c. 25.

(3) In Leviticum homil. 4.

(4) In dialogo cum Tryphone.

(5) Horum Patrum textus citatos etiam vide partim apud Calmetum prolegom. in secundam epistolam Petri, partim apud Tho-

illud excidium proxime secuturae. R. Nego ant. ad prob. conc. ant. neg. cons. Futile hoc Grotii argumentum est, ut Natalis Alexander (7), alique merito observant. An enim ita iudaeos de die mundi ultima patienter expectanda praemonere non potuit, licet excidium hierosolymitanum nondum contigerit? An non potuit (cit. capite, v. 8 et 9) iam ante hoc excidium scribere: *Unum vero hoc non lateat vos, carissimi! quia unus dies apud Dominum sicut mille anni, et mille anni sicut dies unus. Non tardat Dominus promissionem suam, sicut quidam existimant; sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad poenitentiam reverti.* An, inquam, non iam ante excidium Hierosolymae ita scribere potuit, etiamsi finis mundi non ante, sed post illud eventurus sit? Profecto quam multa sunt, quae apostoli spiritu prophetico praevidentes, nobis significarunt, licet eorum multa nondum evenissent, quae praecedere debebant? Quid? an ne spiritus prophetarum eventui rerum ita alligatus fuit, ut nisi ea praecessissent, quae praecedere debebant, futura praedicere non possent? Nonne ipse Christus de fine mundi multa praedixit (8), quamvis Hierosolyma nondum esset excisa? Grotii ergo coniectura inanis est ac contemnenda.

12. ARGUM. III. Syri veteres epistolam secundam Petri ut spuriam omiserunt in canone sacrorum librorum, et recentiores, licet eandem legant, nequaquam tamen ut

mam Cerboni in theologia revelat. I. 5, q. 2, art. 2, § 4, pag. 242.

(6) Part. 5 Introduct. in sacr. Script. sect. 2.

(7) Hist. eccles. tom. 5, c. 12, art. 2, § 4.

(8) Matth. c. 24.

canonicam recipiunt; ergo. R. I. Etiam si antecedens verum esset, tamen syrorum particulare iudicium tanti non est, ut universali ecclesiae opponatur.

Dixi: *Etiam si antecedens verum esset*. Multa enim contra hoc ulterius reponi possunt. Nam in primis, teste *Cornelio a Lapide* (1), constat ex maronitis, qui Romae sunt, eos hanc epistolam habere pro canonica. Unde quamvis ab aliquibus syriacis exemplaribus illa epistola absit, quia de ea olim ambigebatur; in aliis tamen syrorum exemplaribus eadem recensetur. Certe s. *Ephrem* (2), et s. *Iohannes Damascenus* (3) uterque syrus, eandem allegant; et *Damascenus* praeterea inter canonicos libros enumerat. Denique eandem epistolam s. *Petri* syriace extare, et ex syriaco in latinum conversam esse a *Balthasare Erzelio*, testatur apud *Cornelium a Lap. Possevinus* in Apparatu.

13. QUÆRES V. Quem sensum habeant illa (II. Petri, c. 3, v. 7) verba: *Coeli autem qui nunc sunt, et terra eodem verbo repositi sunt, igni reservati in diem iudicii*. An in ipsa die iudicii, ante vel post totus mundus conflagrabit? R. Ignis ille non subsequetur iudicium, ut *Suarez* ex s. *Augustino*, *Prospero* et *Anselmo* vult; sed praecedet, ut ss. patres communiter docent conformiter illis verbis: *Ignis ante ipsum praecedet, et inflammabit in circui-*

(1) Praefat. in secundam epist. Petri.

(2) Sic paraenesis 9 ad monachos s. *Ephrem* allegat illum locum II. Petri, c. 2, v. 9: *Aspectu enim et auditu iustus erat* (Loth): *habitans apud eos, qui de die in diem animam iustam iniquis operibus cruciabant*. Item paraenesis 41 locum II. Petri c. 2, v. 17. Item in sermone paraeneticico de secundo adventu Domini allegat locum II. Petri, c. 3, v. 9, dicens: *Quod si Petrum quoque interrogas coryphaeum? et ipse tibi respondebit, ac dicet: Non tardat Dominus promissionem,*

tu inimicos eius; mundumque expiabit ab omnibus spurcitiis carnalibus et spiritualibus, quibus per tot saecula inquinatus fuit. Ita *Cornelius a Lap.* et *Tirinus*. Legenda etiam celebris dissertatio *Calmeli* de fine et mundi statu post iudicium.

CAPUT III.

De tribus epistolis canonicis
s. *Ioannis apostoli*.

§ 1. Epistola I. s. *Ioannis*.

Versatur ea partim circa divinitatem Christi contra *Ebionem* et *Cerinthum*, partim circa eius humanitatem contra *Basilidem* (4) adstruendam. Praeterea mandatorum Dei observantiam, et bonorum operum, charitatis imprimis necessitatem contra *Simonem Magum* fideliter inculcat.

QUAESTIO I. In hac epistola c. 2, v. 7, *mandatum diligendi proximum vocatur mandatum vetus*. At v. 8 et in evang. *Ioan.* c. 13, v. 34, *hoc mandatum dicitur novum*. Quomodo ista concordant? Respondeo: concordant optime. Nam praedictum mandatum est vetus et novum, sed diverso sensu. *Vetus* quia datum fuit ab origine mundi *Adae* et omnibus hominibus, cum sit mandatum legis naturae. *Novum* ratione novi modi, quo illud Christus observari praecepit, nempe ut diligamus invicem, non quomodo scri-

sicut quidam tarditatem existimant: sed patienter agit, nolens quemquam perire, sed omnes ad poenitentiam reverti.

(5) Parallelorum lib. 1, cap. 6, citat s. *Damascenus* illud II. Petri, c. 2, v. 4: *Si Deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in iudicium reservari*. Et saepe alibi eandem secundam Petri epistolam allegat.

(4) Vide *Cornelium a Lap.* praefat. in epist. 1 s. *Ioannis*.

lae et pharisaei diligendos docebant solos amicos, solos israelitas, solo interno affectu; sed sicut Christus dilexit nos, nempe dilectione ferventissima et officiosissima erga omnes, etiam extraneos, etiam inimicos, prompta etiam ad exponendam vitam pro illorum salute; qui sane modus diligendi proximum novus erat tum temporis in orbe, et fere inauditus. Ita *Chrysostomus*, *Theophylactus*, *Euthymius*, *Rupertus*, et alii.

QUAESTIO II. I. *Ioan.* c. 2, v. 2, dicitur, *quod Christus sit propitiatio pro peccatis totius mundi*; et II. *Cor.* c. 5, v. 15 *pariter dicitur, quod Christus pro omnibus sit mortuus*. Sed quomodo potuit mori, et pretium sanguinis sui offerre divino Patri pro iis, qui ante ipsius adventum obierunt, et quorum pluri iam erant ad gehennam damnati antequam Christus nasceretur? An pro illis Christus Patrem divinum rogavit hoc modo: *Rogo te, ut illis des gratias sufficientes ad salutem obtinendam? vel hoc: rogo te, ut illis has gratias dederis? profecto utraque haec tendentia est absurda*.

Respondeo: Christus, neque rogavit Patrem divinum ut dederit, neque ut det gratias illis, qui ante eius adventum mortui sunt. Non enim illis impetrare potuit gratias iam datas, aut serio petere ut dentur iam damnatis. Sed solum agnovit, sua merita ab aeterno absolute praevisa fuisse motivum Patri suo divino ad dandas illis gratias, et de hoc gavisus est, et penitus acquievit in voluntate seu decreto isto Patris divini; adeoque huius acquiescentiae tendentia erat ista: *Sum contentissimus, quod gratias meis progenitoribus aliisque ante adventum meum mortuis dederis*. Simul autem rogavit Christus, ut hae gratiae datae habeant suum effectum

respectu patrum in limbo detentorum, quos petiit admitti ad visionem beatificam: hoc enim primum erat futurum post mortem Christi. Atque in isto gaudio et acquiescentia voluntatis Christi in decreto Patris divini, dantis progenitoribus suis aliisque gratias intuitu meritorum Christi absolute futurorum, et simul in oblatione suae mortis et meritorum ad impetrandam liberationem patrum e limbo, consistebat oblatio sui sanguinis pro suis progenitoribus, aliisque ante adventum suum defunctis; pro iis vero qui tunc iam erant in gehenna non obtulit stricte loquendo pretium sanguinis sui, sed tantum gavisus est, quod Pater divinus intuitu meritorum suorum absolute praevisorum illis gratias sufficientes dederit. Ceterum hanc difficultatem et subtilem quaestionem nobis obicere quidem possunt theistae alique increduli, qui totum Christum negant, non autem iansenistae: quamvis hi defendant Christum pro solis praedestinati, non autem pro omnibus etiam reprobis mortuum esse et sanguinem suum fudisse. Debent enim ipsimet quaestionem solvere, si interrogentur, quomodo Christus pro iis, qui in veteri testamento erant sancti et praedestinati (plurimi autem horum erant) potuerit Patri divino mortem suam offerre?

At Dices: Praemium debet esse tale, ut qui praemiatur, sit dignus et habeat ius ad praemium; sed per meritum suum futurum Christus nondum erat actu dignus, neque habuit ius ad praemium; sed solum erat habiturus aliquando ius, nimirum pro tempore, quo meritum erat actu extitutum; ergo Deus non decrevit gratias progenitoribus Christi concedere tanquam praemium propter merita aliquando futura. Respondeo: dist. mai. de-

het esse dignus et habere ius vel actu, vel saltem pro illo tempore, pro quo elucet meritum, et in quod tendit praemians, adeoque debet esse dignus in intentione praemiantis, conc.: debet esse iam actu dignus et habere ius, nego. Quando cumque Deus dat praemium propter meritum, illud iam ab aeterno decrevit dare propter meritum absolute praevium; ergo etiam potuit ab aeterno decernere, dare gratias progenitoribus Christi propter huius merita absolute futura et infallibiliter praevia. Cur enim praemians non possit ita tendere: *volo dare praemium, quia erit meritum*, maxime, si illud infallibiliter praevidet, prout Deus praevidet? Verum plura de his theologi (1) in tractatu de incarnatione et meritis Christi.

Neque dicas: Beatitudo aeterna non potest concedi ob meritum praecise futurum; ergo neque gratiae possunt dari tanquam praemium progenitoribus Christi ob merita Christi praecise futura. Nam respondeo, disparitatem esse in eo, quia si daretur beatitudo, meritum illud sequi non posset, cum per beatitudinem in hac providentia tollatur status merendi; talis sequela non oritur ex eo, quod gratiae progenitoribus Christi dentur in praemium ob merita Christi futura.

QUAESTIO III. I. Ioan. c. 2, v. 18, dicitur: *Antichristi multi sunt. Sed alibi Scriptura clare docet (2) Antichristum tantum esse unum. Quomodo haec concordant?* Respon-

(1) Vide praeter alios Iosephum Munschein in tract. de Incarn. n. 412, et seq.

(2) Thessal. c. 2, v. 3, et 8.

(3) Matth. c. 17, v. 12 et 13.

(4) Fere toto lib. 5 de romano Pontifice.

(5) Tom. 2 in 5 part. s. Thomae disput. 34.

(6) In dissert. ante comment. in ep. ad Galat. Et in diction. biblic.

deo: est quidem unicus tantum Antichristus antonomastice talis; sunt autem multi antichristi, hoc est, Antichristo similes in spiritu contradicendi Christo, et ab eo discendi; ferme sicut Christus s. Ioannem Baptistam vocavit *Eliam* (3), nempe quoad spiritum et virtutem, ut dicitur Luc. 1, v. 17. Verum plura tum de hac quaestione, utrum Antichristus in fine mundi venturus sit unus aliquis certus ac determinatus homo, tum de aliis personam Antichristi spectantibus invenies apud Bellarminum (4) *Suarez* (5), *Calmet* (6), *Anton. Mayr* (7), *Mulbenda* (8), et *Goldhagen* (9).

Iidem auctores (10) plerique ostendunt, Antichristum verum et purum hominem fore, non vero daemonem apparentem in forma humana, aut assumentem naturam humanam, id est, daemonem incarnatum.

QUAESTIO IV. *An illa periocha* (I. Ioan. c. 5, v. 7), *tres sunt qui testimonium dant in coelo, Pater, Verbum, et Spiritus s., sit authentica et genuina s. Scripturae pars?* Respondeo: quamvis id mordicus negent sociniani, et cum illis nonnulli protestantes, ac etiam alii quidam audaciores critici, quorum agmen hac in re ducit *Richardus Simonius*; tamen catholici et protestantes communiter illud affirmant: praestantissimi quoque critici in praedictae periochae authentia vindicanda egregie laborarunt, quales sunt praeter alios *Ioann. de Rubeis*, *ordin. Praedic.* (11), *Bukentop* (12),

(7) De primo et secundo adventu Christi, l. 7, cap. 2 usque ad c. 6.

(8) De Anti-Christo.

(9) Part. 5, num. 526, et seq.

(10) Vide Bellarm. loc. cit. c. 12, et Suarez loc. cit. sect. 1. Et Calmet.

(11) Vide *Zachariae Thesaurum Theol.* tom. 5.

(12) *Lux de luce*, l. 2.

Seldenus (1), *Calmet* (2), *Goldhagen* (3), *Benedict. Stattler* (4), qui etiam contra theistas, aliosque incredulos luculenter ostendit (5) mysterium ss. Trinitatis, quamvis sit supra rationem, tamen non esse contra rationem, seu nullam contradictionem aut implicantiam involvere.

§ 2. *Epistola II. s. Ioannis.*

In hac s. Ioannes idem fere argumentum de quo in prima sua epistola egerat, contra *Basilidem* prosequitur, simulque *Electam*, sub qua voce aliqui certam quandam ecclesiam, alii nobilem matronam intelligunt, adhortatur, ut sibi cum suis filiis ab haereticis eorumque perversis dogmatibus sedulo caveat.

QUAESTIO I. II. Ioan. v. 10, dicitur: *Nolite (haereticum) recipere in domum, nec ave ei dixeritis. Sed numquid tenemur omnes, etiam inimicissimos diligere?* Respondeo: tenemur. Sed exclusio haeretici hospitio, vel omissio salutationis hic non praecipitur ad ostendendum odium adversus proximum, sed ne videamur haeresi favere et applaudere, illamque fovere et promovere nostra auctoritate, favore, hospitio, facultatibus. Unde causam praecipi subdit s. Ioannes, dicens: *Qui enim illi dicit ave, communicat operibus eius malignis.* Caeterum si absit perversionis et scandali periculum, ac expressa ecclesiae prohibitio, non vetatur communicatio cum haereticis, praesertim si necessitas, pietas, aut gravis utilitas eam suadet.

QUAESTIO II. *Illam, ad quam haec*

(1) Lib. 2 de Synedriis, c. 4.

(2) Dissertat. ante comment. in ep. s. Jacobi.

(3) Introduct. in s. Script. part. 5, n. 306 et seq.

(4) In Theol. tract. 5 de SS. Trinit. § 528.

epistola scribitur, v. 1, *vocatur Electa Domina. Sed v. 13, ad eandem s. Ioannes scribit: Salutant te filii sororis tuae Electae. An ambae hae sorores habuere idem nomen Electa?* Respondeo I. Biblia gothica, teste *Mariana*, legunt: *Salutant te filii sororis tuae, Electa*, id est, o *Electa*, in vocativo casu. Resp. II. Non est incredibile, quod ambae sorores habuerint idem nomen. Nam saepe duo fratres, vel duo sorores, praesertim si familia sit copiosa, habent idem nomen. Accedit, quod *Electa* non tam sit nomen proprium, quam appellativum, quia scilicet est nomen dignitatis et officii, quod pluribus personis idem officium ob euntibus tribuitur et congruit. *Electa* ergo videtur fuisse nomen commune matronae, quae ecclesiae ministris, orphanos, viduas, et pauperes sustentabat quasi mater, et caeterarum foeminarum instructioni et gubernationi in ecclesia praeerat instar diaconissae. Sensus ergo est: *O Electa, mater fidelium in ecclesia*, v. g. *Corinthi*, salutant te filii sororis tuae, quae pariter est *Electa mater fidelium in ecclesia Ephesi*, unde haec scribo. Responderi potest III. per *dominam Electam* intelligi vel totam ecclesiam, ad quam s. Ioannes hanc epistolam scripserit, vel quandam ecclesiam particularem, et per *eius sororem Electam una cum filiis* ecclesiam quandam alteram; circumstantiae enim temporum figuratas aliquando phrases adhiberi expostulant, ut illud lateat, quod sciri non expedit: ferme sicut s. *Petrus* (6) et ipse s. *Ioannes* alibi (7) *Romam* appellant

(3) Ibid. tota sect. 1, praesertim § 550, usque ad § 558. Et in demonstrat. evang. § 125.

(6) I. Petr. c. 5, v. 15.

(7) Apoc. c. 16, v. 19. Et c. 17, v. 5. Et c. 18, v. 2 et c. 21.

Babylonem, aut sicut s. Paulus Ne-ronem (1) appellavit Leonem. Pro-phetæ simillimis phrasibus saepis-ime utuntur. Vide Calmet (2).

§ 3. Epistola III. s. Ioannis.

Fidem Caii, et charitatem in pe- regrinos extollit, eumque ad perse- verantiam, non obstante prohibi- tione Diotrephis, hortatur s. Ioan- nes.

QUAESTIO. Quis est ille senior, de quo s. Ioannes in hac epistola v. 1, scribit: Senior Caio carissimo, quem ego diligo in veritate? Respondeo: est ipse s. Ioannes evangelista, qui et hoc loco et alibi se seniore (3) appellat, utpote qui omnibus apo- stolis solus tunc superstes erat. Se- nior, cui scilicet cygnea suppeteret quaedam gratia senectutis, s. Am- brosius (4). Vel etiam, quia senior (græce πρεσβύτερος) idem denotat ac praelatus, episcopus, apostolus (5).

CAPUT IV.

Epistola s. Iudæ.

Commendat necessitatem bono- rum operum contra quosdam pseudo- apostolos et hæreticos, fidem sine operibus sufficere contententes, a quibus ut fideles sibi cavere possint, eorum characteres adnotat, nimi- rum contemptum cuiusvis domina- tionis, libidinem blasphemandi om- nia quæ vel improbant, vel non capiunt, et lasciviam plusquam bru- talem.

QUAESTIO I. In hac epistola, v. 5, dicitur: Iesus populum de terra Aegypti salvans. Sed Iesus 1457 annis circiter post eductum ex Aegypto

(1) II. Timoth. c. 4, v. 17.

(2) Præfat. in 2 epist. s. Ioannis.

(3) II. Epist. s. Ioannis v. 1; v. de et- iam Calmet. præfat. in 2. Ioan. epist.

(4) In psalm. 56, v. 25.

populum hebraeum natus demum est. Quomodo ergo tot annis antea po- tuit salvare hunc populum? Respon- det s. Hieronymus (6), per Iesum hic intelligi Iosue: hic enim a septua- ginta interpretibus vocatur Iesus. Verum obstat quod Iosue, licet po- pulum introduxerit in terram pro- missam, non tamen eundem eduxit de terra Aegypti. Hoc enim fecit Moyses. Hinc aliter respondeo et di- co: Iesus non qua homo, sed qua Deus populum suum, nempe he- braeos ex Aegypto eduxit. Nam, ut s. Paulus (7) ait: Iesus Christus heri et hodie, ipse et in saecula. Adde, quod pro Iesus multi graeci codices habent *χριστος*, idest Dominus, et non- nulli addunt *ὁ θεός*, id est Deus. Unde Syrus et Clemens Alex. le- gunt Dominus Deus; qui titulus Ie- su Christo qua Deo, non vero duci Iosue conveniunt. Ostendit nimirum his verbis s. Iudas Christi divinita- tem contra Simonem, Ebionem, aliosque hæreticos.

QUAESTIO II. In eadem epistola, v. 9, dicitur: Cum Michaël archan- gelus cum diabolo disputans aller- caretur de Moysi corpore, non est ausus iudicium inferre blasphemiae (diabolo). Sed cur non est ausus? num princeps angelorum timeat dia- bolum? Dein cur s. Michaël de Moy- si corpore altercatus est? Respon- deo: blasphemiam, seu convicium vel maledictum non est ausus Mi- chaël proferre, non quod diabolum timeret, sed quod maledictum ver- bum tanquam rem indecoram, et se dedecentem proferre timeret. Mere- batur diabolus maledictum, sed per archangeli os blasphemiam exire non debuit, ait s. Hieronymus (8). Re-

(5) Cornelius a Lap. in 2 epist. s. Ioan. v. 1.

(6) Lib. 1 contra Iovinianum.

(7) Ad Hebr. c. 15, v. 8.

(8) Ad Titum 5.

spexit, ait Didymus, ad bonam dia- boli naturam Michaël, atque idcir- co maledictis abstinuit, suoque ex- emplo docuit, quid nos facere o- porteat, qui saepe odio vel ira in- flammati non tam vitia, quam ho- mines ipsos insectamur et maledi- cimur. Hinc archangelus non pro- tulit blasphemam sententiam, seu maledictum dicendo: Facesse, ma- ledicte Satan, abi, perfide, in ge- hennam, sed modeste et graviter illum compescuit, dicens: Imperet tibi Dominus, graece, *increpet te Dominus*, id est, tuam, o Satan, insolentiam ac nequitiam comprimat potenti suo imperio. Porro ve- risimilior et communior opinio est,

s. Michaëlem cum diabolo de Moysi corpore altercatum esse, quia Satan voluit Moysen sepeliri loco cognito et publico, ut hebraei in idolola- triam proni eum quasi Deum et nu- men colerent; Michaël vero ei ob- stitit, et curavit ut secreto sepelire- tur. Ita s. Chrysostomus (1), s. Am- brosius (2), Caietanus, Salmeron, Arias, et alii; unde Deuter. 34, v. 6, dicitur: *Et non cognovit homo sepulcrum eius usque in praesen- tem diem*. Plura hac de re eruditis- sime disserit praeter alios Cornelius a Lap. (3). De ipso autem Moysis obitu et sepultura, seu sepulturae loco insignem dissertationem con- cinnavit Calmet (4).

SECTIO II.

DE APOCALYPSI

TANQUAM LIBRO PROPHETICO NOVI TESTAMENTI

CAPUT I.

Argumentum et obscuritas
Apocalypseos.

Hic liber e tribus partibus com- ponitur, quarum prima tribus pri- mis, ultima tribus postremis, secun- da ceteris omnibus intermediis, nempe sexdecim capitibus contexi- tur. Pars prima et ultima facilis est intellectu: nam inter plerosque con- venit, quemadmodum tria prima A- pocalypsis capita ad septem Asiae episcopos respiciunt, quos s. Ioan- nes de suo officio commonet, sic ul- timis tribus Christi victoris trium- phum, extremumque iudicium, et sempiternam beatorum gloriam ce- lebrari. At reliqua sexdecim capita, quæ inter primam tertiamque par-

tem interiacent, interpretum om- nium solertiam et ingenium ve- hementer exercere. Quamvis enim generatim agnoverint facile, ibi ser- monem esse de calamitatibus et bellis ecclesiae Christi inferendis: de victoriis, quas Christus de illis esset relaturus: denique de ultione, quam ab hostibus propter occisos martyres Deus exacturus esset; ta- men in particulari ostendere, quan- do et per quos haec evenerint, aut eventura sint, difficillimum sane est. Hinc geminas in classes divisi sunt interpretes, quarum altera potissimum ad morum documenta, altera ad historicam rerum seriem xvi illa capita revocavit. Primæ classis duces fuere ss. patres et scriptores antiquissimi primorum ecclesiae Christi saeculorum, qui, cum res in Apocalypsi praedictae

(1) Hom. V. in Matth.

(2) 2 Offic. cap. 1.

(3) In epist. s. Iudæ v. 9; et in Deut. c. 54.

(4) In dissertat. ante comment. in ep. s. Iacobi.